

~~II 3167c~~  
~~21 3169 A~~ *sup*

# Einladungsschrift

2912  
#.65

zu der Feier

des

# Schröderschen Stiftungs-Actus

im

## Gymnasium zu Torgau

am 1. April 1860.

- 1) De locis aliquot Quintiliani emendandis. Scripsit Car. Aug. Alb. Doerry.
- 2) Nachrichten über die Anstalt aus dem Schuljahre von Ostern 1859 bis Ostern 1860. Von dem Director.

---

Torgau, 1860.

E. Trugmann's Druckerei.

2912  
.65

## De locis aliquot Quintiliani emendandis.

**I**nter omnes constat praeclarum illud opus Quintiliani de institutione oratoria librariorum inscitia plurima menda traxisse et quasi naevos quosdam egregio orationis corpori passim esse inspersos. Neque ulla spes ostenditur fore ut scriptori nostro ex codicibus manuscriptis nova quaedam lux affulgeat. Etenim post renatas literas homines literati nihil antiquius habere videbantur, quam ut principi illi artis oratoriae proprium et suum nitorem restituerent. Quare certatim illi et omnes, qui tum erant, codices diligenter excutiebant, et si inde nihil sibi praesidii afferri videretur, periculum ingenii faciendum esse statuebant. Quod studium quum nostra aetate admodum refrixerit, tum post curas Spaldingianas a Zumptio et Bonnelio continuatas nemo fere in Quintilianum operam impensiolem contulit, quamvis locis permultis ut verborum contextus emendationem, ita res ipsae explicationem postulare videantur. Nimirum haec studia jacent, quia noster in scholis enarrari non solet atque latine dicendi facultas, quae majoribus nostris magnopere cordi fuit, hac aetate plus justo sperni coepta est. Verum uni quidem officio in scriptis Quintilianicis exsequendo auctores idonei non defuerunt. Zumptii enim potissimum opera factum est, ut codicum, unde vulgata textus recensio defluxit, naturam atque rationes penitus habeamus exploratas et quasi cognitionem quandam familiarum agnoscere possimus. Iam igitur omnis res critica certiore nititur fundamento, siquidem facere non possumus, quin optimis quibusque codicibus plurimum fidei tribuamus. In librorum autem, qui melioris sunt notae, numero reponuntur codices Ambrosianus primus, Florentinus, Turicensis, Almeloveenianus. Atqui quamvis ad ceterorum levitatem fide sint digni, tantum abest, ut scriptiones eorum integrae atque sincerae esse videantur, ut uno excepto Ambrosiano librariorum inscitiam sermonis latini multo majorem prodant, quam ipsi illi deteriores, ut qui iudicio liberiore usi nimis ab exemplo suo recedant. Quae quum ita sint, interpretes Quintiliani ad sananda gravissima vulnera, quae stupor hominum inertium elegantissimo scriptori infixit, non possunt suo Marte non ingredi. In quo officio egregia orationis Quintilianicae concinnitate mirum quantum adjuvamus. Uti enim ipsius sermo, dummodo sit genuinus, propriis semper vocabulis utitur, ita ex severiore quodam ornatu aptisque rerum imaginibus facile favorem captat. Inde intelligitur ejus orationem tot quasi luminibus distinctam facilius esse a criticis emendam quam scripta stili remissioris. Namque recto oppositorum usu, si qua illius membra desunt, ea haud raro licet probabili assequi conjectura, quod et ipsum in translationibus usuvenit, quippe quae apud nostrum semper sibi constant neque res dissimiles commisceant.

Iam equidem in animo habeo, quae est ingenii mei infirmitas, de aliquot locis institutionis oratoriae corruptioribus meum quoque iudicium interponere. Quae mea opera si cui levior ac paene inanis

1\*

2912  
.65

1875

Digitized by Google

videbitur, quum multa possim causari, tum id unum sathabeo dixisse, me omnem hanc quaestiunculam prope imparatum atque parum a libris instructum paucissimis confecisse diebus. Imprimis dolendum mihi videtur, quod nec volumine quinto editionis Spaldingianae nec scriptis, quae huc faciant, Bonnelli uti potuerim. Aggrediar igitur, ut verbis Ciceronis utar, non tam perficiendi spe quam experiendi voluntate.

- 1) Inst. Orat. X. 1, 96 (ex rec. Spald.): „Iambus non sane a Romanis celebratus est ut proprium opus; quibusdam interpositus, cujus acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio, quamquam *illi epodos intervenire* reperiatur. At Lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus.“

Turic. Flor. a. p. m. *interve non reperiatur*. Omnes cdd. et edd. vetustiores particulam „non“ habent, quae de conjectura Regii coepta est omitti. Quam quidem omissionem ceteri omnes hujus loci interpretes quamvis repugnantibus libris comprobant, praeter Gesnerum, qui pronomen „illi“ ad unum Catullum refert, quippe in cujus carminum reliquiis non exstent epodi, atque censorem, quem vocant, Ienensem, qui locum ita constituit: „cujus acerbitas in Catullo, Bibaculo; in Horatio, quamquam *illi epodos intervenit*, non reperiatur“. Ab omnibus item „interveniendi“ verbum ex libris sequioribus in textum receptum est. Hermannus ponit „interveniatur“ et illud „reperiatur“ ad propositionem relativam („cujus acerbitas etc.“) adjungit.

Manifesto apparet his emendationibus ad difficultatem hujus loci expediendam parum profici, id quod Zumptius, Spaldingius, alii non infitias eunt. Utique enim et verborum structura et omnis enuntiationis contextus ambiguum quiddam habere videtur, quod tanto scriptore sane est indignum. Veluti pronomen „illi“ a Spaldingio ad „iambum“, a Gesnero ad „Catullum“, a plurimis ad „Horatium“ refertur. Equidem maxime in illo „quamquam“ offendo, quum vera sententiarum oppositio nusquam videatur subesse aut longius tamen repetenda. Id itidem vitium in conjunctione subsequenti „at“ inhaeret. Huc accedit, quod perperam dicitur: „epodos *intervenit* Horatio“. Verum quidquid de ea re in partes contrarias disseri potest, id omne missum facio, quum praesertim, quid alii viderint, ex ipsorum scriptis intelligi liceat. Protinus igitur hanc meam, si qua est, emendationem propono:

„cujus acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio, quamquam *illi epodo sint nervi*, non reperiatur.“

Quae scriptio ut, quoad ejus fieri possit, confirmetur, tum de sermone tum de rebus ipsis nonnulla sunt afferenda.

Primum quod ad artificium emendandi pertinet, facile intelligitur conjecturam a me propositam quasi in codicum optimorum vestigiis pressius insistere. Omnino enim in eo, quod Turicensis et Florentinus habent „epodos *interve*“, una tantum litera leviter est mutata, una autem n, quam solere nota superscripta significari constat, adjecta, s denique vocabulo subsequenti adjuncta. Nemo non lenitatem hujus medelae agnoscat, modo ne sententia, quae inde exoritur, nimis a vero aberraverit. Quam quidem ut uno quasi obtutu contueamur, Quintilianus acerbitatem iamborum graecorum in Catullo, Bibaculo, Horatio reperiiri negat, quamquam Horatius in libro suo epodon vigore quodam poetico proxime ad graecum exemplar accedat.

Vox illa „nervorum“ nihil habet offensionis, scilicet jam a Cicerone sine ulla, ut ita dicam, translationis conscientia haud raro usurpata. Fere igitur, sicubi occurrit, vocabula: „quasi, tamquam, quidam“ desunt, quorum alioqui in translate dicendo frequentissimus est usus. Promiscue vero cum similibus illa, cujusmodi sunt „opes, vires“, conjungitur, quin etiam ipsa in eorum locum succedit, veluti Qu. Acadd. 3, 56 („omnibus nervis mihi contendendum est“), Phil. 5, 12 („experietur consentientis senatus nervos atque vires“). Quod quidem adnotandum putavi, ne quis dictionis illius nimia nuditate vel tenuitate offenderetur. Ceterum apud eundem Ciceronem haec vox ad orationis potissimum virtutes significandas transferri coepta est, velut De Orat. 3, 27 („horum oratio neque nervos neque aculeos habet“). Videsis quam similia sint

nostra („liber epodon habet nervos“). Et ipse Horatius in A. P. 26: („sectantem levia [s. lenia] nervi deficiunt“) in Satt. II. 1, 2 (sine nervis altera, quidquid composui, pars esse putat“). Jam vero si Quintilianum pervolutaveris, sexcenties eodem fere modo hanc vocem, quam unice ille amat, usurpatam deprehendas. Quod quidem uno loco (X. 1, 60: „summa in hoc vis elocutionis — plurimum sanguinis atque nervorum“) demonstravisse sat erit.

Ceterum quam conformatio loci nostri vulgata pravam pronominis „illi“ affert structuram, eam correctio mea eliminare videtur. „Ille epodos“ enim, ut grammatici loquuntur, praegnanter dicitur pro „pervagatissimo, praeclaro illo libro“. — „Epodos“ hoc loco potestatem collectivam ita habet, ut totum epodon opus numero singulari indicetur, quod idem alias quoque apud auctores idoneos occurrere pro certo affirmaverim. — Qua re vero maxime conjecturam meam commendari video, molestissimum illud „quamquam“ idque nonnisi multa verborum ambage definiendum jam facile est intellectu. Quid quod conjunctio „at“, quae proximam enuntiationem ducit, melius ita in sententia antecedente haeret? Quodsi Horatii laus tum in iambis tum in carminibus lyricis utrobique efferretur, nimirum particula „at“ interjici non debebat, ut qua fiat oppositio contrariorum.

Verum plus rerum hoc loco prolatarum rationes injiciunt dubitationis. Catullus ergo et Horatius a Quintiliano indigni existimantur, quos ad iamborum acerbiteriam, quae quidem praecipua est hujus generis virtus, cum principibus illis graecis, Archilocho, Hipponacte, Simonide componat. At Tacitus Ann. I. IV. c. 34 testatur: „Carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur“, atque de tot Catulli carminibus deperditis aliquot etiamnunc supersunt, quibus Caesarem eumque evectum in summum fortunae fastigium diceriis acerbissimis insectatur. Et ipse Horatius nonne tum in satiris tum in epodis homines quosdam malos versibus asperrimis petiit? Imo vero legentibus nobis carmina illa contumeliosa, quae est morum nostrorum humanitas atque mansuetudo a Christiana demum religione profecta, et Horatius et Catullus nimis severe munere censorio usi esse videntur. Ac nihilo minus Graecorum poetae iambici longe acerbiores putandi sunt quam Romanorum. Quod quum ex fragmentis Archilochiis Hipponacteisque quamvis paucis ac mancis manifesto appareat, tum communi omnium veterum iudicio satis est testatum. Archilochus et, qui semper fere ei adjungitur, Hipponax non tamquam morum censuram inter aequales suos agebant, sed irae potius indulgentes pro injuriis acceptis acerrime ulciscabantur adversarios. Ut enim ille Lycamben sponsa denegata ad laqueum compulit, ita hic Bupalum, statuarum artificem, qui ejus foeditatem ridicula imagine expresserat, odio implacabili accensus quasi telis quibusdam iambis sanguinariis atque ignominiosis obruit. Uterque tantum aberat, ut excelsa virtutis specie imbutus hominum vitia vellet taxare aut „ridendo dicere verum“, ut ex Ovidiano illo „iambos in adversos hostes stringeret“ atque vitae adversariorum maledictis turpitudinis notam inureret. Cujus rei satis magno est argumento illa Callimachi Βουπάλειος μάχη cui insunt hi versus ex Hipponactis ingenio expressi:

„λάβετε μοι ταίματια, κόψω Βουπάλου τὸν ὀφθαλμὸν, ἀμφιδέξιος γὰρ εἰμι κοῦκ ἀμαρτάνω κόπτων.“  
neque non illa de morte adversarii dira, ut ita dicam, exsultatio, quam fragmenta quaedam illius aperte praeferunt. Quid quod ex Leonidae epigrammate (Anth. Pal. III 408) effici posse videtur Hipponactem („ὁ τοκέων ἕα βαῦξας“) ne suis quidem parentibus pepercisse. Testimonia veterum, quod in tanta iamborum, qui hodieque manent, paucitate nobis conjicere tantum licet, id ex pleniore cognitione prorsus confirmant. Eustathius in commentariis in Iliadem Homeri pietatem opponit τῷ βλασφημεῖν κατὰ τὸν ἐπίτριπτον Ἀρχιλόχον ἢ τὸν ἀργαλέον Ἴππώνακτα etc. Alius Hesiodi vetus interpres ait τὸν μὲν Ἀρχιλόχον καὶ τὸν Ἴππώνακτα βλασφημίας συγγράψαι κατὰ τῶν λυπησάντων. Adde Horatianum illud in Ep. ad Pis 79: „Archilochum proprio rabies armavit iambo“. Ipse Quintilianus (X. 1, 60) in eximia elocutionis Archilochiae laude, quum dicit „quod quoquam minor fuerit, materiae esse, non ingenii vitium“, satis aperte perditam morum ejus lasciviam indicat atque innuit.

At Romanorum contra poësis iambica longe aliter sese habet. Quum enim, paene dixi, omnes omnino literae ex Graecia in Latium illatae sunt („Graecia capta ferum victorem cepit“),

tum iambi maxime poëtarum Romanorum, quo in genere non sua sponte vel indole quadam nativa ducti elaborarunt, multis nominibus peregre potius asciti quam ultro se protulisse videntur. Carmina ejus generis Catulliana et Horatiana percensentibus nobis haud ita pauca occurrunt, quae, quamvis ad togatorum res atque personas sint traducta, colorem tamen peregrinum perspicue reddant. Bene scilicet cum istis imitatoribus agitur, quod tantam literarum graecarum jacturam fecimus. Ceterum in iis etiam carminibus, quae sane asperius quiddam et atrocius spirent, ut in illa Maevii execratione (Hor. Epodd. 10), eo tamen quod poëtae subinde in graeca doctrina venditanda longe lateque excurrere solent (cf. l. l. v. 10—15), spiritus feroces aliquantum temperantur. Adde quod bona eorum pars in argumentis fictis ita versatur, ut illi non tam veram animi affectionem efferre quam quid in hoc vel illo genere poëtico valeant, experturi fuisse videantur. — Iambi vero Catulliani, qui maledicta in Caesarem jaciebant, (29. 54. 57. al.) ut in poëta haud ita egregio, dictatorem non vehementius pupugisse nec penitus in ipsius animo haesisse videntur, siquidem Suetonius (Caes. 73) narrat Catullum cum illo in gratiam rediisse atque coenae esse adhibitum. Nec id mirum; nam quae exstant ejusmodi carmina, neque imperatorem ipsum, sed asseclam humilem Mamurram potissimum tangunt, et vitia quaedam sane turpissima ex nostra quidem sententia, verum, ut tum erant tempora, facile ab omnibus excusata nec lepide nec admodum acerbè perstringunt. Atqui eo minus hi versiculi bilem poterant commovere, quo liberius alias ipse se poëta eorundem probrorum compertum fatebatur. — De Horatio etiam facilius quaestionem profligare licet, modo ipsum faciamus loquentem. Ultro enim (Epist. 1, 19. 23—31) se ab Archilocho nihil nisi „numeros animosque“ (i. e. vim elocutionis. Cf. Quint. Inst. X. 1, 60) ascivisse profitetur, non „res et agentia verba Lycamben“, id quod mire cum Quintiliani judicio (l. l.) concinit. Quid plura? Horatius ipse in Epodon libro (hi enim sunt „iambi Parii“ ab Archilocho inventi) multum ab acerbitate principis illius se deflexisse dicit, neque est quod dubitemus, ubi libellum lepidissimum curiosius introspexerimus. In illo septendecim carminum numero septem tantum reperiuntur, quorum argumentum in adversariis exagitandis versetur, et duo, quae excurrunt, alterum quintumque decimum, mores nisi leviter non perstringunt. In quibus adeo non suas poëta exercet simultates, ut vel comprimere videatur malorum audaciam libidinemque vel genio indulgere in rerum imaginibus effingendis. Id nisi in carmen decimum, quod naufragium ac mortem malo poëtae Maevio imprecatur, quadrare sit visum, in hoc eum Hipponactis vestigia pressisse posuerimus, qui et ipse poëtas maledictis graviter lacessivisse dicitur. Verum utcunque res sese habet, unum illud carmen justo asperius plurimorum venustati facile condonabimus. — Furius denique Bibaculus, qui tertius in numerum poëtarum iambicorum a nostro adscribitur, longe illis inferior fuisse existimandus est. Quodsi is verum, quem Horatius (sat. I. 10, 36 et ibid. II. 5, 41, cf. Quint. VIII. 6, 17) haud inficete traducit („Jupiter hibernas cana nive conspuat Alpes“), ut ab Horatii scholiasta nobis probatur, re vera coagmentavit, ex uno illo „conspuendi“ verbo putidissimo hunc poëtam omnis sensus rectoris prorsus fuisse expertem satis superque intelligitur. Huc accedunt iniquiora de ipso Plinii (Hist. Nat. Praef.) et Messalae (apud Suetonium de ill. gr. c. 4) judicia, ut facere non possimus, quin de virtutibus ejus poëticis male existimemus.

Quodsi ex hac quamvis levi poësis iambicae adumbratione satis appareat Graecorum iambos multo acerbiores fuisse quam Romanorum, facile commitemus, ut scriptionem codicum meliorum auctoritate firmatam („cujus acerbitas in Cat. Bib. Hor. non reperietur“) in loco nostro reponamus atque tueamur. Accedit, quod ipse hic locus rationem, cur id fieri debeat, suppeditare videtur, siquidem prior ejus pars iambum literis latinis ut proprium opus abesse aperte indicat. Atqui acerbitas ea est virtus, qua vel sola totum hoc iamborum genus contineatur. Quam si protinus nonnullis poëtis Romanorum Quintilianus tribuere voluisset, jure meritoque sibi ipse non constitisse putandus foret.

- 2) X. 3, 10 (ex. rec. Zumpt.): „Sed tum maxime, cum facultas illa contigerit, resistamus et provideamus et efferentem se quasi frenis quibusdam coerceamus etc.“

Turic. Flor. „*efferentis equos*“. Almel. „*et efferentes equos*“. Badius conjecit „*ferocientes equos*“, quod in omnes fere editiones irrepsit. Turic. a p. m. „*coerceamur*“.

Librarii hariolantes „*equorum*“ vocem putidam atque ineptam scriptori elegantissimo obtruserunt, quasi Quintilianus stilum currentem cum equis potuerit comparare. Quamquam eam similitudinem ipsius animo obversatam esse non nego, quippe quod ex locutione „*frenis coercendi*“ pateat. At simile illud in partes persequi hic minime decuit, praeterquam quod particula imaginem praefulciens, ut „*quasi, tamquam, velut*“ desideratur. Recte igitur Spaldingius, Frotscherus, Zumptius in hoc loco offenderunt. Quorum primus latens vulnus suo more sagacissime detexit, non tamen medicans. Alter conjectura longius arcessita („*et provideamus efferenti se quosdam frenos, quibus coerceamus*“) corrumpit potius quam corrigit. Unius Zumptii, quam supra scripsi, emendatio ab elegantia sermonis et intellectu facili („*efferentem*“ enim ad „*facultatem*“ respicit) admodum commendatur. At scripturam magis in codicum vestigiis haerentem afferre mihi videor legendo „*et provideamus efferentesque nos frenis quibusdam coerceamur (sive coerceamus)*“. Primum apparet ex „*efferentis equos*“ (Alm. *efferentes e.*) facilius erui „*efferentesque nos*“ quam „*et efferentem se quasi*“. Porro illud „*nos*“ pulcrius cum sententiarum nexu concinere videtur; nam in proximis usque verbis de nostra scribentium cura et meditatione sermo est, non de rhetoris officio in discipulis. (cf. ibid. 9: „*obtinendum est, ut quam optime scribamus*“ it. „*resistamus, — provideamus*“). — Ad notionem verbi „*se efferendi*“ firmandam locos Ciceronis (Tusc. 4, 17, 39) et Livii (30, 20) attulisse satis fuerit. — Lectionem „*coerceamur*“ ab auctore idoneo suppeditatam unus equidem omnium commendaverim. Nam si active dicitur „*coerceamus*“, pronomen „*nos*“, quod est reflexivum, loco objecti, quod vocant, τοῦ „*coerceamus*“ iterandum est. Quamquam quae in Francogallorum lingua pro re nata licet omissio pronominis reflexivi (veluti „*ceci me fait souvenir*“ pro „*ceci me fait me souvenir*“), eadem a sermone latino non prorsus abhorret, quippe cui non sit absimile: „*inter se amant*“ pro „*se inter se amant*“. Sin id minus, dubito an participium „*efferens*“ declinatione fieri possit ex „*efferri*“, quod quodammodo est verbum deponens (cf. vehor in Zumpt. gramm. § 145–47). Verumtamen si cui in altero utro nihil esse opis videatur, jam in forma satis testata „*coerceamur*“ acquiescamus, praesertim quum ὁμοιοτέλευτον vitiosum („*resistamus — provideamus — coerceamus*“) ita non accidat.

- 3) X. 3, 20 (ex rec. Spald.): „*At idem ille, qui excipit, si tardior in scribendo aut inertior in legendo velut offensator fuerit, inhibetur cursus atque omnis, quae erat concepta, mentis intentio mora et interdum iracundia excutitur*“.

Turic. Flor. Almel. omittunt „*qui*“. Turic. omittit prius „*in*“ Flor. (a p. m.) „*tardior i. sc. a. incertior et diligendo*“. Almel. „*incertior diligendo*“. Flor. a p. m. „*offensatum*“. Almel. quod quidem ex silentio Burmanni conjici licet: „*offensator*“. — Turic. Flor. uterque a p. m. „*fuit*“. — Ex Regii conjectura: „*concepta*“, libri omnes „*conceptae*“.

Ad emendationem hujus loci maximi sunt momenti verba „*offensator fuerit*“. Cujusmodi substantivum alibi reperitur nusquam, nedum equi pedes offendentis habeat notionem, qua re Spaldingius τὸ „*velut*“ sustentare conatur. Sed hoc ipsum concedatur; quam frigida atque inanis verborum circuitio pro simplici voce „*offenderit*“! Quodsi cum Zumptio ad alteram lectionem „*offensatus fuerit*“ confugiamus, nobis non erit melius, quoniam „*offensari*“ non est verbum deponens neque notio passiva huic loco convenire videtur. Praeterea quo minus in „*offendendo sive offendendo*“ species aliqua similitudinis latet, eo magis vis particulae „*velut*“ frigescit. Breviter jam neque rationibus ullam in partem examinatis emendationes interpretum hic subjiciam. Spaldingius in medio proponit: „*At idem ille, qui excipit, si tardior scribendo (sive in sc.) aut incertior, et delendo velut offensator fuerit etc.*“ Frotscherus: „*At idem ille [qui excipit], si tardior scribendo aut incertior et diligendo velut offensatur, inhibetur etc.*“ Quae uncis inclusa sunt, delenda censet. Zumptius: „*At id. i. q. e. s. t. s. a. incertior legendo velut offensatus fuerit etc.*“ Quae censor

Jenensis viderit, operae non est pretium commemorare. Equidem labantes sententiae partes sic fere firmare statuerim:

„At idem ille, qui excipit, si tardior scribendo (sive in scr.) aut incertior de legendo (sive: relegendo), velut *offensa torpuerit*, inhibetur cursus etc.“

Quod ad facilitatem hujus conjecturae pertinet, nemo non videt in scriptura bonorum codicum duas tantum literas, alia tamen syllabarum complexione facta, esse mutatas. Pauca quaedam de emendandi rationibus adnotanda sunt.

Verbum torpendi (sive torpescendi) debilitatem significans ex animi vel corporis affectionibus natam, sive ea manet, sive subito et ad tempus accidit, ut apud Ciceronem rarius occurrit atque usibus poetis potissimum accommodatur, ita aetate subsequenti a scriptoribus magis magisque frequentari atque in medium abire coepit. Etenim illi tum vetustiora tum poetica vocabula studiose undique conquirebant. Eam vocem a Quintiliano, cujus oratio fere floridior esse soleat, pro scribentis vel legentis haesitatione usurpari neminem certo offendet. Ceterum huic loco una omnium maxime convenire videtur, quia non modo vox et lingua, sed manus etiam haud raro dicuntur torpere (sive torpescere), quum haesitandi verbum ad vocem potissimum pertineat (cf. Lex.). Itaque noster illo vocabulo usus zeugmate supersedit. Adde quod similitudinem a pedum offensione ductam haud dubie spectavit. Id sane ex adiectione verborum „velut *offensa*“ patet. „*Offensam*“ autem proprie usurpari lexica docebunt. Ita demum particula „velut“ aptius posita esse videtur quam in iis, quae Frotscherus et Zumptius commenti sunt atque ad illud Spaldingii ἀπαξ εἰρημένον non opus est confugere. Majorem dubitationem habent leviora, utrum „de legendo, legendo, relegendo“, an „diligendo, intelligendo, delendo“, quorum omnium sunt auctores, an aliud quid id genus praeferendum putem. At diceres tamen servum a manu, qui secundum Frotscherum incertior fuisset in diligendis notis Tironianis, aut, quod Spaldingius vult, nimius in delendo, in pistrinum potius detrusum fuisse, quam scrinio praefectum. Quidni quam nos in dictando sequimur rationem, ut scriba proxime scripta relegat, quibuscum ulteriora connectantur, eadem etiam apud veteres valuisse existimetur? An quod est rerum naturae consentaneum, non ubivis terrarum atque temporum recurret? Hic sane non video, cur interpretes nodum in scirpo quaerant. — Lectio denique „*conceptae*“, cui codices ad unum omnes suffragantur, maxime mihi probatur. Namque „*mens*“ cogitandi non modo vim et facultatem, sed singulas etiam animi actiones interdum significat, veluti in locutione passim obvia: „*ea mente*“ pro „*eo consilio*“. Ita hoc loco complexum sententiarum innuere videtur, qui nescio an rectius dicatur „*concupi*“, quam „*intentio mentis*“.

4) X. 3, 21. (ex. Spald. rec.): „*torquere vultum, simul vertere latus et interim objurgare etc.*“

Turic. „*sinti elatus interim*“ a sec. m. „*sintie latus*“ Flor. „*simul et elatus*“. Censor Jenensis, quem Frotscherus sequitur, coniecit: „*sinum et latus interim objurgare*“, Zumptius: „*scindere latus*“. Alterum dicendi usui consentaneum non videtur; reperitur quidem: „*objurgare aliquem verberibus, colaphis*“, sed num dici liceat „*objurgare latus*“ pro caedendo l., prorsus dubito. Atque quid, quaeso, est „*sinum caedere*“ h. e. plicaturam vestis? Ea pronuntiatio in dictando nonne similis videatur furori? Altera item Zumptii emendatio planctus potius praeficarum quam gestum dictantis significaverit. — Prima specie ex literarum ductibus codicis Turicensis „*sentire elatius*“ aliquis eruerit, quae locutio simili apud Ciceronem loco (Tusc. V. 9, 24) illustratur. At cum sententia parum congruit. Malim igitur: „*torquere vultus, niti elatius*“. Litera M, cujus sonum ultimo loco parum exprimi constat (cf. Quint. IX. 4, 40), ut in inscriptionibus et manuscriptis saepe excidit, ita hoc loco a librariis adjecta videtur, postquam S forte in sequentia transiit. — De sententia ad l. XI. 3, 134 rejicio, ubi noster „*gestum*, ut ad judicem tendentem, elatiorem esse“ jubet. Etiam in mentem venit scribere „*inniti in latus*“, quandoquidem l. XI. 3, 122, 125, 132 laterum inclinatio dicentibus commendatur. Atqui „*inniti*“

et „incumbere“, quod loco laudato reperitur, idem fere significant. „Objurgandi“ verbum ex mea sententia ad flexus vocis pertinet, qui sunt actorum in adversam partem loquentium.

5) X. 3, 23 (ex rec. Spald.): „Mihi certe jucundus hic magis quam studiorum hortator videtur esse secessus.“

Flor. inserit: „*vim demoni*“, Almel.: „*videmoni*“, cujusmodi in Turicensi nihil reperitur. — Frotscherus conjicit: „Mihi certe *ut Demostheni* jucundus hic magis etc.“ et ad § 25 nos delegat, ubi mentio fit Demosthenis. Qua conjectura quamvis ad literarum similitudinem praestanti, tamen ad sensum nihil est frigidius. Zumptius in Supplementis ad ed. Spald.: „m. c. vivendi monitor jucundus“, in editione minore: „m. c. vivendi jucunde hic m. c. etc.“ Gernhardus: m. c. vindemia jucundus etc.“ Ex his mihi altera Zumptii conjectura („vivendi jucunde“) maxime arridet. Nihilominus et ego novi aliquid parturio, quod nimirum explosum iri animo video. Quum enim passim me apud Horatium legere commemnissem, quam pulcre ad bibendum illi et jucunde vivendum ruris secessus amoeniores convenirent, facere non poteram, quin hoc quoque loco poetae amabilis levem insaniam plane ac latine significatam vellem. Quare fidenter ego legendum propono: „mihi certe *vini et amoris* hic magis, quam studiorum hortator videtur esse secessus.“ Molestissimum illud „jucundus“ expunxi tamquam interpretamentum. An si quid est omittendum, quod primus Turicensis sibi sumpsit, meum jus equidem tenere non debeam retinendi optima? Imo vero tota sententiae conformatio aperte docet librarios eam vocem structurae absonam propterea allevisse, quod deformem illam verborum conglutinationem jam non intelligerent. Verum enimvero criticis difficillima quaeque maxime arrident. Repudiemus igitur vocem exsanguem exilemque, nitidiorem atque expressiorem retineamus.

6) X. 3, 25. (ex rec. Spald.): „Ideoque lucubrantes silentium noctis et clausum cubiculum et lumen unum *velut tectos* maxime teneat.“

Turic. Flor. Alm. „et velud rectos“. In illo inter „et“ et „velut“ supra scriptum „vel“. „Tentat Burmannus „vel etiam lectus“, multos testatus, qui de Romanis in lecto studentibus prodiderint“. (Spald.) Sarpus conjecit: „velut erectos“, Zumptius: „velut arrectos“. Frotscherus incredibili quadam inventionem omnes longe exsuperat scribi jubens: „et velat erctos“, cujus notionem alii viderint. Spaldingio graecam vocem hic suspicanti ejus commentum debetur. Rectius ei in mentem venire oportebat: „et velut adytos“. Lindau in Progr. Oels. „vultu tectos“ in medium profert et umbellam viridem, quae est apud Iuvenalem (sat. IX 50), ad usus suos convertit. Commemorationem lecti, in quo moris erat commentari, Gesnerus supervacaneam arbitratur. Sarpus et Zumptii conjecturae non modo propter particulam „velut“ displicent, sed quia, vigilantia et intentio lucubrantium qui augeri possit lumine uno, parum intelligitur. Duas equidem lectiones propono, quarum facio optionem: „et lumen unum et *velum secretos* maxime teneat“ vel: „et l. u. et *velum velut arctos* maxime teneat“. Vocalitatis vitium, quod in altero accidit, exemplo simili eoque etiam insigniore (Quint. I, 4, 12: „*qui quia a* pennis etc.“) si minus tueri, at excusare licet. „Velum velut“ in superscripto „vel“ nititur, quod habet Turicensis. Verum si quis mavult, „velut“ utique potest omitti, quamquam ejus notio paululum huc facere videtur. Ceterum „arctos“ et „secretos“ non multum differunt, ita tamen, ut illud sit ab „arcendo“, quod quidem participium a Prisciano allatum recentioribus non probari haud ignoro. At in tali re homines nostros veteri grammatico posthabendos censeo. Velum apte hic adjungitur. Quum enim particula „et“, quae est in codicibus, unum subjectum, quod vocant, excidisse manifesto doceat, tum vestigia scripturae hanc vocem clarius ostendunt. Ceterum inter omnes constat, non modo lectos Romanorum divitum, sedilium spondas, fores velis fuisse intenta, sed aulaea etiam ex cameris suspensa, id quod Servius ad Virg. Aen. 1, 701, Scholiastes ad Hor. carm. 3, 29, 14 et sat. 2, 8, 54, Suetonius (Claud. 10) aperte testantur. Quibus involucris lucubrantium in cubiculo solitudo multum sane angebatur nec tale quid antecedentibus nostro loco supponere absurdum videtur. Ceterum



„secretos tenere“ notissima illa verbi tenendi est structura, quod cum participio praeteriti eventum duraturum significat. Unde declinando superlationem hic fieri non posse intelligitur.

- 7) X. 1, 104: (ex Zumpt. rec.) „Superest adhuc et exornat aetatis nostrae gloriam vir saeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec immerito; *remitti* libertas, quamquam circumcisis quae dixisset, *vel* nocuerit. Sed elatum abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in iis, quae manent.“

Turic. „inmerito remitti“. Flor. a p. m. „inmerito remuti“ Almel. „immerito remitti“ — Turic. Flor. „ei“ hic a p. m. „vel“. Almel. „illa“.

Hunc locum exscribens, qui de Quintilianis unus omnium maxime ingenia virorum doctissimorum exercuit, nequaquam id ago, ut ejus recessus totos explorem atque illustrem, ne, quod noster alias dicit, „in clarissimum solem mortale lumen inferre videar“. Tot tantisque curis eruditae pauca quaedam adjecisse satishabeo, initium a mea persona facturum. Ante hos quindecim annos quum sodalis essem Seminarii Regii Sedinensis atque eum locum animum forte advertissem, contigit, ut ex codicum aenigmatis nomen „Cremuti“ pro eo, quod est „remuti“ sive „remitti“, colligerem neque scriptiunculam de ea re conscriptam cum collegis meis communicare dubitavi. Quorum judicia quum invento meo non admodum faverent, unice securus libellum in scrinio reposui. Multum igitur mirabar, quod paucis annis post Virum Doctissimum Nipperdeium ultro in eandem conjecturam incidisse deprehenderem. Tantum vero abest, ut laudem inventionis, si qua est, mihi praereptam doleam, ut fidentius jam tanto auctore fretus opinionem diu conceptam foveam et amplectar. Quam quidem V. Cel. Bernhardt (in hist. lit. Rom. p. 595) quamvis breviter argumentando labefactare studet, Quintilianum eum fuisse negans, qui ullius scriptoris libertatem laudibus efferre fuerit ausurus. At ausus est tamen, si minus in hoc corruptiore, at in sequenti colo prorsus integro („sed elatum abunde spiritum etc. — Sunt et alii *boni* scriptores etc.“). Atque eo tutius in hac laude immorari poterat, quo minus eam animi libertatem spectavit, quae in rebus publicis administrandis ostendatur, id quod V. D. Landfermann (in progr. Duisb.) optime enucleavit. Nam omnis haec literarum graecarum latinarumque adumbratio nihil agit, nisi ut tirones sciant, quibus lectionibus oratoris futuri facultas alatur et augeatur. Quare ad hanc solam regulam omnia omnino judicia diriguntur, id quod maxime patet, ubi, quid frugis ex Homeri lectione redundet ad oratorem, docetur (X. 1, 47—51). — Ceterum de adulatione etiam et morum infirmitate Quintilianum excusatum velim. Mirum quantum injusti sumus et nostrae ipsorum culpa prorsus immemores in scriptoribus antiquis adulationis damnandis. Imo nos vero animo libero atque ingenuo ne pilo quidem illis veteribus praestamus. Vocum potestates sunt mutatae, res ipsae semper manent eadem. Neque Burmannum Quintiliani pudere oportebat, quum (X. 1, 91 sqq.) laudationem Domitiani legeret, quam si pigmentis, quibus nostrae quidem, ut ita dicam, amicorum cohortes utantur, illeverimus, profecto, quantulum intersit, manifestum erit. — Qua in re longior esse videor, ea me ad propositum reducit. Haud dubie enim in „remuti“ sive „remitti“ nomen quoddam scriptoris latet, quoniam prius colon totum in putido illo et adulatorio dicendi genere versatur („superest — intelligitur“), alterum contra („habet amatores — manet“) apertissime prae se fert iudicium severius atque subactius. Illic igitur historicum quendam imperatori gratiosum, cui officium commentarios principis, ut moris erat (cf. Bernh. l. l. p. 596), perscribendi mandatum esset, verisimile est significari. Is nescio an ille *Ἐντέλλιος τὰ τῆς ἀρχῆς βιβλία διέπων* fuerit, quem eundem Dio Cassius (l. 67, 15) in Domitiani interfectorum numero reponit. Alterum illum esse Cremutium, e vestigiis codicum optimorum facile apparet. Quod in eo commemorando ordo temporum non est servatus, parvi refert, quum praesertim in Verrio Flacco et Lucano (§ 89. 90.) idem factum esse videamus. Ceterum Cremutii fragmenta quamvis pauca et mendosa Quintiliani de ejus scriptis iudicium confirmare videntur. Argumento est brevis illa, at nervorum plena de Ciceronis ore in rostris exposito narratio. — Domitianum vero, licet in scriptores aetatis suae saevientem, illius tamen laudes aequo tulisse animo facile nobis persuadetur,

quum et bella civilia a Cremutio esse enarrata, et longo temporis spatio interjecto jam alteram domum, imperatoriam imperium exceperit reputamus. An Lucanum noster veritus est commemorare, quem quidem sub Nerone conjurasse constaret? an Senecam, qui cum rerum novarum auctoribus consensisse insimularetur? Imo vero iisdem fere versibus nomina imperatoris et Lucani (§§ 90–92) ita conjungit, ut de industria animi sui innocentiam ostentare videatur. Huc accedit, quod Cremutium in plebem tantummodo et senatum, non item in Caesares increpasse apud Dionem (l. 57, 24) diserte est scriptum. Quid quod ipse Augustus in ejus annalium recitatione interfuerit? Non igitur suberat causa, cur princeps, quamvis esset suspiciosus, illius scripta insectaretur, quum praesertim Marcia filia, quidquid offendere posset, id, priusquam patris libri denuo ederentur, leniore stili correctione temperasse videatur.

Quodsi igitur prior emendationis pars in dubium vocari nequit, ulteriora tamen adhuc sunt in controversia. Nipperdey pro „dixisset vel (ei, illa) nocuerit“ suadet „dixisse voluerit“; F. Ritterus ex verbis „ei nocuerit“ levi sane mutatione „emacuerit“ repetendum censet. Altera tamen conjectura sensu, altera locutione laborat, quae num ita quidem apud bonos scriptores reperitur, vehementer addubito. Mihi equidem ad facilem sententiae intellectum haud displicet: „dixisset, *filia* nocuerit“. Quae scriptura ex eo, quod habet Almeloveenianus („illa“) facillime existit. Atqui tres illi codices optimi (Ambrosiano enim I. propter lacunam deficimus) hoc loco prorsus inter se diversa afferunt. Quare, utrum hoc an illud sequaris, in medio relinquitur. Almeloveenianum vero ceteris interdum praestare puto. Iam quaeritur, unde tanta haec lectionum diversitas orta sit in codicibus, quos ex fonte communi derivari veri est simillimum. Quod ita accidisse videtur, ut a librario, qui nocendi verbum absolute poni ignoraret (cf. X. 2, 3, ibid. 2, 25 etc.), „ei“ adjiceretur. Porro inter „vel“ et „filia“ („illa“) similitudo aliqua intercedit atque V et F in codicibus passim permutari constat. Adde quod vox „filia“, quae tum in titulis et inscriptionibus tum in manuscriptis nota F. subinde signatur, facilius idcirco omitti poterat.

De conjunctivo „dixisset“, qui prima specie rationis indigere videtur, sic statuo, propositionem concessivam („quamquam — nocuerit“) tamquam ex mente amatorum dici, quod quidem inserendo: „ut inquit“ illustrabitur. Ita simul Quintilianus hanc operis circumcisionem, quam Marcia cum amicis instituit (cf. Dion. Cass. l. 1), tantummodo fando se accepisse innuit, non ipsum esse expertum. Verum tacendum non est nihil nos certi, quod sciam, de facta librorum Cremutianorum correctione neque ex Tacito, Dione, Suetonio, neque ex Senecae consolatione compertum habere. Itaque omnis de ea re opinio ex hoc loco obscuriore est desumpta, nisi forte Rittero de utraque editione et integra et correcte fidentius disserenti (Philol. 1851) aliae atque mihi praesto sunt auctoritates.

Iam vero restat, ut subitam „filiae“ commemorationem, quae mira videri possit, paucis excusemus. Ac sane in succincta illa scriptorum enumeratione id foret mirum, nisi Marciae nomen notissima Senecae epistola quasi in loco illustri positum atque cum literis latinis penitus conjunctum fuisset. Et ipsius et patris fatum adeo erat in omnium ore, ut, quorsus haec quamvis brevia spectarent, neminem aequalium fugere posset. Quae res quum memoria hominum excidissent, hic Quintiliani locus legentibus debebat obscurior fieri. Atque haec est causa, cur librarii in eo tanto opere peccaverint.